



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XVIII. De probandis tyronibus quod alterum est Societatis conseruandæ
præsidium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

Ab iis deinde quos legisset, admodum seuerè probationes exigebat, de quibus, sua quadam Epistola. [Adscriptis inter nos, statim ait, certos exercitationum spiritualium, & solitarij secessus dies præscribimus, examinibus, Confessione Generali, meditationibus transigendos, & aliis ad reformandos mores, & concipiendam Vocationis celsitatem appositis. Post hæc ministeriis domesticis vilibus, & abiectissimis, bimestri adicimus, ad edomandos naturæ affectus, & sæculi fastum: inde haud multo tempore, mittuntur à nobis in nosocomia, suam per mensem ægrotis operam probaturi: hinc mensem alterum peregrinaturi, nullo viatico, nulla opis humanæ confidentia, nullo præter commune pauperum, in xenodochiis hospitio, nullo certo victu nisi mendicato, vt vno labore tum paternæ domus teneritates dediscant, & amœnitates; tum discant toti a Deo pendere; parati seu barbarè, siue humaniter habeantur, æquali vtramque animo, vultuque accipere] horum porro experimentorum, quàm essent gnauiter obita, sigillatim quærebat rationem, ægrotosque, aut per se, aut per domus ministrum in nosocomiis rogabat de sedulo, aut secus famulatu, sibi ab nostris exhibito: interea temporis dum illic agerent, dato negotio curabat, vt ab loci præfectis duntaxat haberentur aspernando, carpendo, imperando seruales in ægtos, easque maximè sordidas, & extremæ nausæe operas: iubebat & tyrocinium aggressos, eodem quo venerant vestium cultu tamdiu incedere, dum vsu laceræ frustatim deciderent. Sic arcis olim Neapolitanæ ducem, nouitium; sic affinem suum Araozium, & iis similes heteromallo, vt erant auròque splendidos, in coqui famulatu, in circumferenda ostiatim per urbem ad stipem mantica; in abluendis ante nostras ædes lancibus, prætereuntium omnium conspicuos oculis; totum biennium tenuit: nempe id volens intelligi, non veste corporis, sed interiori edomitorum affectuum habitu, & ornatu Societatis hominem constare. Quod magno profectus sui compendio, tyrones ipsi optimè aduertebant, inter quos Gonzalus Sylueria (Monomotapæ postea, profuso sanguine Christum quem prædicauerat, gloriosè professus) suas illas de sæculo vestes, quoties exueret, me miserum! aiebat exprobrans, quem sibi homines alium esse fingunt, cum ne vestem quidem hæctenus mutarim. Sed enim admissos, exploratione accuratissima tentare solitus, haud paulo tamen eos diutius, & acriori probabat indagine qui essent magnis natalibus illustres, certus vt erant, si rite fingerentur rectèque succederent, futuri *subsidio pariter & decori*, (quod ex Ambrosio, turris Dauid, Hierosolymis fuit); ita si forent à virtute, & religioso animo leuiter comparati, planè in contrarium desituros. Dum enim postponi aliis non ferunt, nec valent merito præire, nimis vulgare est, vt armis veteribus viam sibi in aulas muniant, iisdem itaque denuo inflati sensibus, quos ad tyrocinij ianuam, tantisper posuerant, iam se cum aliis commetiri, minores spernere, obseruantiam sui exigere singularem, credita munera si minus luceant inquietè obire, quiritatione

XVIII.

De probandis
tyronibus
quod alterum
est Societatis
conseruanda præf-
dium.

De Rabuibe
c. 13.

tione continua damnare gubernationem, velut arbitrariam, promiscuam, priuatis affectibus distortam; demum meriti sui superbam inopiam, culpam alienæ iniuriæ facere, nec possunt hi fumi quin pungant hominum oculos, ad diuina fermè caligantes, vt qui suis tantum spectandis, æstimandisque assueti, capere nesciunt, opum, & sanguinis splendorem, non esse legitimos religioso viro meriti titulos, nisi cum eos contempserit, nihilque propterea deberi sibi statuerit. Est, inquit, Ambrosius, sua etiam quædam in equis nobilitas, ab regiis ducta, & bellatoribus præsepiis; at si circo commissi, vix à carceribus mouerint, cum metas iam alij raserunt, quid eos tunc iuuat origo nobilis? aut quid expostulent, se flocci fieri? *Nihil istud currentem iuuat, non datur palma nobilitati, sed cursui.* Iam illo in cœtu honores, & munera, non sunt meriti merces, aut præmium, vt est perabsurdum eo nomine hæc ambire; sic & absurdus, & minus tolerandum, fulcire hunc ambitum rationibus de vulgo sumptis, vt quæ religioâ æstimatione, sanoque de rebus iudicio, iure despuuntur.

XIX.
De dimittendis ab Societate.

tract. 3. in
ep. 1. Ioan.

Tertium sequitur ad bonum Societatis habitum conseruandum mirè potens, & necessariam; exlegum scilicet, & solutiorum, velut exerrantis, vitiatique humoris matura purgatio; ne si semel imputruerint, morbos creent sanationis desperandæ. *Quod enim de tota Ecclesia Augustinus, pulchrè in religiosos ordines idem cadit, Sunt in corpore Christi quodammodo humores mali, quando euomuntur tunc releuatur corpus: sic & mali, quando exeunt, tunc Ecclesia releuatur; & dicit, quando eos euomit, atque proicit corpus; ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant, cum inessent. Ex nobis exierunt; sed nolite tristes esse: non erant ex nobis.* Prodest autem non solum corpori ad valetudinem, sed membris etiam ad arcendum marcorem, ea purgatio, nam vt fulmina, paucorum periculo, multorum metu, nubes excutunt, sic prauorum eiectionibus, admonentur boni, ne quo suo vnquam commerito id præceptum adeant, vnde leui pulsu Societas illos in sæculum deuoluat. Ex quo illud Xauerij admodum salutare, considerandum assiduè, Societate nos haud paulò magis quam Societatem nostri indigere. Nec vero expectandum, quoad malum sensim adolescens, erumpat in scelera, morèque profliget; forent enim tunc dimissionis reparandæ vitæ remedia, non mortis occupandæ, & conseruandæ sanitatis. Canes nondum dentati, & cæcam in lucem vix editi, morsum proritantibus iam tendunt, vt scribit S. Basilius; & fronte adhuc inermi vitulus, demisso capite, iam se putat in auras iactare aggressorem: futuri scilicet, nimis certum specimen præmonstrant, & quæ sint cornua, dentèscque defixuri. Et rubi, ait Augustinus herbescentes non pungunt, sed fila tunc mollia, & lanuginosa in atroces rhamnos crescendo durantur. Næui sunt quidam, & papulæ, in speciem leues, sed nascentium indicia vlcereum. Ferri hæc non debent in Societate cum diu callidis obseruatoribus cernuntur in peius abitura, & rei tunc timidiùs agentes, ne professione excludantur